FR. ALEXANDRI DE BVRGO

MESSANENSIS

Ordinis Min: Conuentualium Theologi,

ET

IN ROMANO ARCHIGYMNASIO

Publici Eloquentiæ Professoris.

IN FVNERE

LEONIS DECIMI

ORATIO ALTERA.

Ad Emum, & Rmum D.

D. IOANNEM BAPTISTAM

SPINVLA

S. R. E. Presbyterum Cardinalem Camerarium.





ROMÆ, Typis Reu. Cameræ Apost. M. DCCXI.

SVPERIORVM PERMISSV.

Emo, ac Rmo Domino

D. IOANNI BAPTISTÆ
SPINVLÆ

S. R. E. Presbytero Cardinali Camerario.

Fr. Alexander Burgos Felicitatem.



X quo mihi singulari optimi Pontificis CLEMENTIS XI. beneficentiâ, tuâque potissimùm operâ Cardinalis Amplissime, perhonorificum munus publicè profitendi Eloquentiam in Romano Archigymnasio sit demandatum, nihil profectò antiquiùs in votis habui, quàm accepti beneficij memorem animum aliquo obsequij, & officij genere declararem. Quamobrem, quum dissertatione de vsu, & necessitate Eloquentiæ anno superiore in lucem edita, primitias studio-

rum meorum Patri Sanctissimo, ac beneficentissimo, vt par erat, obtulerim; hanc modò orationem, quam nuper in funere Leonis X. P.M. in Romano Lycæo, de more habui, tuo nomini inscriptam typis mandare decreui, vt perpetuum obseruantiæ erga Te meæ argumentum esset, & pignus. Quo sanè munusculo, & si pro acceptis à te beneficijs gratiam referre tantam nequeo, quantam vellem, habeo tamen Tibi, quantam maximam pro viribus possum. Etenim eadem ego voce, qua nomine eorum, qui Romana in Academia literas profitentur, Leoni X. Bonarum Artium Instauratori gratias ago; eadem, inquam, voce Tibi, Princeps Eminentissime, mitioris, grauiorisque literaturæ Patrono, ac Vindici gratæ meæ voluntatis statuo monimentum.

IN FVNERE

LEONIS DECIMI

Pontificis Maximi.

ORATIO.



Nstituenti mihi alteram hoc anno in funere Leonis X. Pontificis Optimi orationem habere, timor iniectus est maximus, PP. Illustrissimi, ne ego, qui semel impares huic amplissimo argumento vires meas expertus fueram; nunc equidem, aut muneri meo penitus deessem, aut saltem longè maiorem, atque antea, renouato dicendi periculo, experirer difficultatem. Verùm rem aliter se habere, ac ego cogitaram, statim animaduerti, vbi primum ad huiusmodi laudationem, & perficiendam ingenio, & elaborandam industria adieci mentem, atque manus admoui. Tantum enim abfuit, vt quasi ab effœta, atque dudum ab alijs occupata laudandi materia me destitutum aliquo pacto sentirem; vt potiùs noua, ac propemodum infinita, & rerum mihi, & verborum copia sub manibus cresceret: quæ quidem ingenium meum sterile illud ac perexiguum mira felicique

 vber-

vbertate fecundaret. Nam cui vnquam dicenti de Leone X. Pontifice omni ex parte Maximo, qui præstantissimarum virtutum laude, rerumque gestarum gloria supra ceteros eminuit, laudis argumentum deesse poterat, præsertim quum dicendum foret, hac in Vrbe reliquarum Domina Vrbium, in hoc amplissimo loco, inter hosce parietes ornatissimos, hìc inquam, vbi quòcunque oculos vertere contingat, in noua semper argumenta laudandi Pontificem illum, qui & huius celeberrimi loci Instaurator, & bonarum Artium Stator, Vindex, Parensque amantissimus fuit, vel nolentes offendere necesse sit? Quamobrem quum, vt videtis, difficilius sit huius laudationis exitum, quàm principium inuenire; ne vltra limites ab huiusce temporis angustijs præstitutos mea hæc vagetur Oratio, id vnum in præsentia mihi sumo, vt, quum Oratione, quam anno superiore habui Leonem X., instaurato hoc gymnasio, maxima beneficia in bonas artes, Rempublicam, Religionem contulisse dixerim: dicam modò, maxima itidem beneficia Leoni X. ipsamet bonarum artium studia rependisse, paremque gratiam reddidisse. Quo quidem argumento, & muneri meo, & officio vestro erga Optimum Pontificem de hoc ornatissimo loco, de literis, de literatis hominibus benemerentissimo, censeo me, quantum quantum potero, satisfacturum.

Verùm, vt ea, quæ in toto orationis cursu à me dicenda sunt, vera esse probetis, quædam hìc in ante-

ces-

cessum posita, veluti nostræ huius laudationis bases, paulisper attendite. Optimus quisque veræ laudis auidus appetensque gloriæ duo potissimùm, Auditores, in omni opere sibi iudicat expetenda: vnum scilicet, vt honestissimam cum dignitate vitam, quamdiù inter mortales agit, felici honorum decursu ad metam vsque traducat: alterum, vt postquam fato cesserit, vt mortis eius comes sit gloria, rerumque præclarè gestarum memoria vigeat sempiterna. Quo fit, vt liberalis animus posteritati maximè seruiens commemorationem nominis sui non cum vitæ tempore existimet esse dimittendam, sed cum omni posteritate adæquandam. Quæ cum ità sint, quis non videt maximi beneficij loco res illas habendas esse, quæ certam expeditamque nobis viam muniunt ad illa duo, quæ modò dixi, quàm citissimè consequenda? iam verò inter ea, quæ ad virtutem recta ducunt, vnde & beatè viuere, & diuturnitatem gloriæ assequi possumus, bonarum artium studia principem sibi locum vindicant Auditores. Illa siquidem, si qua est in rebus humanis tranquillitatis interioris vmbra, & vitæ felicitatem amatoribus suis conciliant, & ad summam honoris arcem gradum faciunt, & immortale decus in omnes nationes, quotquot scientias amant, fama rerum, ac nominis æternitate deriuant. Nouit igitur, nouit Ioannes Medices huiusmodi commoda, quæ in amatores literarum literæ ipsæ transfundunt. Quippe qui in Domo literarum amantissima liberaliter

educatus, atque magnifica illa Laurentij Patris voce excitatus fuerat. O vocem præclaram! ò Vocem Viri Principis ne dum ætatis suæ, verùm etiam omnium ætatum multò sapientissimi! Laurentium enim dicere solitum accepimus nullum ex toto humanæ vitæ negotio opulentius, atque præstantius patrimonium liberis relinqui, quàm virtutis, & gloriæ, ab hac, inquam, paterna voce, ac domestico exemplo excitatus ingenuus adolescens ad bonas artes omnes amandas, fouendasque, quibus virtus omnis, & gloria comparatur, animum statim à pueritia indesinenter applicuit. Non ille opes, non principatus, non affluentia quæque fortunæ dona fluxa quidem, & instabilia, sed firmissimam literarum, bonarumque artium possessionem doctorum hominum contubernio penè cum lacte innutritus cum prima vitalis auræ particula, veluti hæreditatem adiuit. Quo factum est, Auditores, vt quemadmodum in cursu veteres Græci lampadem sequentibus tradere erant soliti, ita ab Auis suis hoc ardentis, & rediuiuæ virtutis lumen Ioannes acciperet; acceptum verò fideliùs ipse seruaret, augeretque luculentiùs tamquam auitæ patrimonium dignitatis. Felix sanè, ac beatissimus, qui benè, ac sapienter rebus suis consultum voluit, dum optimarum studijs disciplinarum, fidissimis nimirum, ac certissimis vitæ ducibus, arduum virtutis iter maturiùs arripuit. Enim verò his præsidijs ad summam laudem, gloriamque contendit Ioannes Medices, & mul-

multa præclara quidem, atque insignia ex bonis artibus ad suum communemque attulit fructum; & in aspectum, lucemque protulit optimum illud exemplum viris principibus ad imitandum. Nam vbi ratio hæc conformatioque doctrinæ ad naturam eximiam, atque illustrem accessit, præclarum illud, ac singulare in optimo adolescente effecit, vt virili planè sapientia præfulgeret; vt in Patrum Purpuratorum Senatum, minor quinque & decem annis, quasi præcox quidem, sed benè maturum virtutis miraculum iurè merito adlegeretur; vt tandem ad ardua quæque Christianæ Reipublicæ munia fortiter obeunda satis idoneus, & crederetur, & esset. Hæc, hæc bonarum artium studia, quæ mirificè coluit, præque ludis, ac voluptatibus adolescens optimus in delicijs habuit, & grauitatem consilij, & acerrimi iudicij acumen, & solertem quandam celeritatem, & prudentiam, rerumque vsum, & iustitiam, & pietatem, & religionem, virtutesque omnes eius in animo pepererunt, aluerunt ad maturitatem vsque ante canos perduxerunt. Hæc identidem bonarum artium studia secundis rebus ornamentum & decus, aduersis perfugium ac solatium ipsi contulerunt: effeceruntque propterea, vt aduersæ, secundæque res statum aliquando, illius verò animum nunquam immutarint. Hæc deniquè, vt verbo omnia complectar, in Ioanne Medice Leonem X. Pontificem Maximum Optimumque effinxerunt, ac præmonstrarunt.

Leo

Leo verò Decimus, qui hisce artibus præeuntibus ad totius Christiani Orbis fasces eue&us fuit, in summo illo honoris apice locatus, ad easdem artes curandas, fouendasque impensiùs, amantiùsque se contulit. Nunquam enim, quod est ingenui, magnique animi, æquabilitatem communis iuris præstantia dignitatis, aut fortunæ suæ pertransijt: tantumque abfuit, vt amor ille beneficus, ac liberalis erga bonas artes doctosque viros eius in animo in tanta honoris affluentia aliquando deferbuerit, vt valentiores inde vires acquisierit, ac longiùs latiùsquè sese explicuerit. Et sanè non tulit vllos ætas illa doctorum hominum fecunda parens, aut virtutum fama clariores, aut sublimium disciplinarum laude præstantiores, aut eloquentiæ poeseosque ornamentis politiores, qui ab huius Pontificis caritate educti, lactati, in sinum recepti, optimoque in lumine collocati non fuerint. Longum nimis esset, Auditores, singula Doctorum Virorum nomina hic recensere, quos Leo X. singulari sua, ac penè diuina beneficentia, aut largissimis præmijs ex Orci, vt ita dicam, & paupertatis faucibus eripuit; aut pinguioribus Sacerdotijs firmauit; aut summis honoribus, Romana etiam Purpura decorauit. Quare vnus hìc locus, vt de ceteris sileam, amplissimus scilicet huius Romanæ Sapientiæ campus tanta celebritate, tanto splendore omnis generis hominum literatorum nunquam certè antea luculentiùs floruisse visus fuit, atque Leonis

nis X. ætate. Illius siquidem ætate è Cimmerijs Gothicisque tenebris ingenuarum artium studia in elegantiorem, melioremque lucem feliciter emerserunt. O verè auream literarum ætatem, ætatem Leonis X.! quæ cum Augusti ætate potiori Iure contendat. Nam sicut Augusti æuo, ita Leonis X. tempore literarum fama claruisse summa laus fuit Doctorum Virorum; quum nòn solùm ea tempestate, sed omnibus postea consecutis temporibus simillima, & maximè gemina semper fuerit habita, & gloria Leonis X., & gloria literarum. Sed quorsùm, fortè requiritis, dulci harum rerum commemoratione mea tendat oratio? Accipite Auditores. Tot, ac tanta in literas, literatosque Viros à Leone X. collata beneficia in beneficum ipsum largitorem vberiùs redundarunt. Nam florentissima illa ingenia, quæ munifici principis liberalitas aluerat, singulari beneficio obstricta par pari referre studuerunt. Nemo vnus vnquam fuit beatissima illa ætate scriptor eruditus, qui lucubrationes suas in lucem emissas Leoni X. non inscripserit, quique magnum Leonis Nomen in Cælum summis laudibus non extulerit. Nullus fuit eruditorum hominum labor, quà soluta, quà vincta oratione perfectus, in quo Leonis Nomen tamquàm stellulis intertextum non promicuerit. Ibat, ibat per ora Doctorum hominum Leonis X. Nomen celebratissimum. Fora, Templa, Theatra, Academiæ, scripta præsertim celebriorum Auctorum per Orbem totum volitantia, nil

nisi

nisi Leonem X. maximè personabant. Quæ cum ita sint, planè videtis, Auditores, quantam gloriæ segetem messuerit erga literas beneficus Pontifex. Ea verò tota quanta est ex bonarum artium fonte manauit. Sed hæc summæ laudis, & gloriæ seges (vt strictim, cursimque alteram huius laudationis partem ad finem properans mea percurrat Oratio) Hæc, inquam, gloriæ seges non cum Leonis vita solùm vixit, non illius morte emarcuit: non post vltima illius fata extincta nominis prædicatio conticuit: non cæcæ obliuionis tenebris inuolutus contabuit tantarum splendor virtutum. Nam sicut mandata literis doctissimorum scriptorum monimenta, donec erunt homines, qui legent, victura sunt, nec illa vnquam tempus edax poterit, nec abolere vetustas; ità perpetuò victurus erit in ijs laudatissimus Pontifex cum ijsdem nominis æternitatem consecutus. Quì enim fieri poterit, vt situ obsitæ, aut obliuione sepultæ, tot, tantisque literarum monimentis consignatæ illius vnquam iaceant pulcherrimæ virtutes? Enim verò Auditores, quotiès siue Historicorum, siuè Oratorum, siue Poetarum, illius temporis scripta reuoluet, reuoluet autem sæpissimè, toties rediuiuam Leonis X. gloriam spectabit posteritas omnium sæculorum. Spectabit, inquam, Leonem X. hìc præclarè res humanas contemnentem optimè contra fortunam paratum, armatumque, exilij incommoda æquo animo sustinentem. Istinc verò eodem, quo captus ab hosti-

bus,

bus, equo insidentem aspiciet, ac semper sui similem Romana hac in Vrbe in sui inauguratione Principatus modestè triumphantem. Hìc spectabit dissidentes inter se Christianos Principes optimi Patris officio pacantem. Istinc verò aspiciet deformatam Romanæ Vrbis faciem sacris, publicisque ædificijs renouantem. Hìc Hæreseon monstra domantem spectabit. Istinc tandem pauperes caritatis vbere, bonas artes magnis propositis præmijs nutrientem aspiciet. Sed quid hìc plura consector, ac colligo, vnum dicam, quod causæ meæ maximè seruire arbitror, Auditores; Leonem scilicet X. spectabit omnis ventura ætas communi omnium Literatorum plausu celebratum. Nec ferè quisquam reperietur præter hunc, qui laudes à Literatis Viris ampliores obtinebit vnquam: quippe qui ingenuas artes vnus omnium maximè fouit, ac erexit, dignus profectò erit, vt ab ijs pariter maximis in cælum laudibus extollatur. Ità est; ità est, Leo Pontifex Beatissime, Tibi vni præcipuè obtigit, vt quod olim impensè optauerat Magnus ille Græciæ princeps Themistocles plenè consequereris. Vt nimirum vocem illam semper audires, qua tua virtus optimè prædicaretur. Vna enim vox est omnium doctorum hominum, quæ te beneficentiamque tuam erga literarum studia ad memoriam posterorum omnium commendabit. Hanc verò ipsam, eandemque vocem grati animi, memorisque beneficij testem, quotannis ingeminat, stata hac die Illu-

strif-

ſtriſſimorum PP. decreto, ſolemnique religione conſecrata, in hoc ampliſſimo totius Chriſtiani Orbis Theatro Romana Academia, quæ te Statoris, Vindicis, Parentis nomine & obſeruat & colit & diligit. Accipe ergo, felix anima, pro collatis in nos beneficijs à gratiſſimis bonarum artium ſtudijs hoc ære perennius anniuerſariæ laudationis monimentum. Ex hoc diſcant Viri Principes quantum ſibi ipſis præſidium comparaturi ſint, & ad curſum vitæ huius feliciter traducendum, & ad nominis immortalitatem poſt mortem conſequendam, ſi optimas, ingenuaſque artes, atque Viros literarum laude præſtantes amare, fouere, ac præ alijs ferre ſumma voluntate ſtuduerint.

D I X I.